



1717 1716 S. 19. num. 5. 20

QUOD BENE FELICITERQUE VERTAT
SACRO - SANCTA TRINITAS!
DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA,
DE

**UTRAQUE JU-
RISDICTIONE
SUPREMA ECCLESIASTI-
CA ET SÆCULARI,**

1717
P. 384

QUAM
AUSPICE DEO TER OPTIMO MAXIMO
SUPERISQUE FAVENTIBUS

AC
ANNUENTE NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO JURIS-
CONSULTORUM COLLEGIO IN ALMA ET PERANTIQUA
UNIVERSIT. ELECTOR. ERFURTENSI,

**P R O
DOCTORUM INSIGNIBUS
ET PRIVILEGIIS IN UTROQUE JURE RITE
ET SOLENNITER CONSEQUENDIS,**

PUBLICÆ DISQUISITIONI EXPONET

CONRADUS WILHELMUS STRECKER,
KIRCHWORBIO-EICHSFELDIACVS IN HAC ALMA
UNIVERS. DESIGNAT. PROF. P. E.

Autor & Respondens

IN AUDITORIO ICTORUM MAJORI
AD DIEM X. MAJI M DCC XVII. HORIS CONSUETIS.

ERFORDIA,
LITERIS GEORGH RUDOLPHI ENGELHARDTIL.



DEO
PATRIÆ
PARENTIBUS
COGNATIS
PATRONIS
FAVTOIBVS
ATQUE
AMICIS
SACRUM ESTO.



CUM DEO FELICITER

PRÆFAMEN.



Onorificam **H**istoriarum cathedram conscensurus, longe nobilissimam & utilissimam jurisdictionis materiam juxta moderna potissimum tempora Paucis deducendam mihi elegi, non

quidem ignorans, quod non tam in hac, quam & in aliis, Universitatibus hac de materia sepius iterumque disputatum fuerit; eam tamen ob causam calamum sistere, incongruum puto. Nam hoc argumentum si quid valeret, non sane debuisset Sfortia Oddus de restitutione in integrum scribere, quia Mauritius eandem antejamjam plenissime pertractavit, nec de criminalibus Garpzovius, quia antea tot alii, inter

A 2

quos

quos radiat Farinacius, Julius Clarus, Caresius
 &c. de isto juris articulo eruditissima nobis re-
 liquere scripta; usque adeo, non satis cogitata
 est quorundam hoc tempore opinio, subinde
 tales disputandi materias quærentium, de qui-
 bus aut pauci aut nemo alius; certe id non se-
 mel accidit, ut tituli raritas non dupondiis tan-
 tum, sed & multis, me hercule, Prolytis mons
 Bœotius appareat, aut penitius inspicientes non
 raro pro Junone Nubem, pro Cræso Co-
 drum, pro gloriosa ac viridi Daphne vilem ac
 sterilem Cybelem deprehendimus, videmus
 scil. singularia ex inscriptione, invenimus vul-
 garia aut prorsus aliena in elaboratione. Sentio
 ego cum Consultore Jcti in *l. legavi ff. de libe-
 rat. Leg.* qui existimavit plenius tractanda esse,
 quæ quotidiana sunt: Hinc cum jurisdictionis
 materia ubique locorum indubie frequentissi-
 ma & non minus Imperantibus, quam Parenti-
 bus scitu quam maxime necessaria, non abs re
 futurum putavi, si illam pro præsentis disputa-
 tione inaugurali nostris præprimis temporibus
 succincte accommodarem. Igitur misis am-
 bagibus ad rem me convertō.



CAP. I.
ONOMATOLOGIA.

AIQO. THES. I. CXXXI



Um turpe videatur, prius determinare, quam terminos intelligere, *arg. l. 1. ff. de J. & J.* Pro meliori intellectu in nominis naturales paucis inquirere non pigror. Descendit autem jurisdictio a jure dicendo. Hanc notationem quam plures comprobant textus inter alios *l. 1. pr. l. 13. l. 18. l. f. ff. de Jurisd.* falsa igitur Glosf. & Bart. in *l. 3. h. t.* opinio, qua jurisdictionem a jure & ditione derivare malunt.

II. Synonymia non immorabor; sed errorem genitricem æquivocationem, quæ maximam in hac materia obscuritatis partem peperit, paulo studiosius remove non prohibebor. Sumitur jurisdictio (1.) generaliter pro omni omnium causarum & civilium & criminalium dijudicatione. *Arn. Vinn. de Jdift. c. 1. n. 2.* (2.) Specialiter pro Potestate in civilibus causis tantum cognoscendi: & sic potestati crimina vindicandi opponitur *l. 3. de Jdift.* in hac significatione fere passim in L.L. Romanis accipitur. (3.) Specialius, quatenus comprehendit ea, quæ magistratui, ut tali competunt. (4.) Specialissime, quatenus continet tantum, quæ speciali lege Scto aut constitutione Principum concessa sunt. *L. 2. 3. 7. §. 2. de offic. Pro-Con.* item (5.) pro summa Principis potestate. *G. l. A. h. t. §. 3. n. 1.* (6.) quoad status Imperii nostri pro superioritate ter-

A 3

rito-

ritoriali. (7.) Pro Edicto Prætoris. *L. 7. ff. h. t.* (8.) Pro ipso jure Civili. *L. 28. ff. subest. ff. de solut.* (9.) Pro jurisdictionis exercitio. *L. 11. ff. de in jus vocan.* (10.) Pro judicis sententia. *L. un. ff. si quis in die. non obi.* Alias significationes, quas passim videre licet apud lexicographos brevitate gratia omitto. Vid. *Arn. Vinn. de Jdicit. c. 1. § 6.*

ALDO. CAP. II. OMO
PRAGMATOLOGIA:

III.

UT intelligatur id, de quo agitur, sausu Ciceronis *L. 1. off.* ad jurisdictionis quidditatem ac divisionem accessum faciam. Diversi diverse eam definiunt, lubet nobis eandem describere cum Struvio *S. I. C. Ex. 4. th. 49.* ubi ait: jurisdictionis est potestas dijudicandi causas ad judicia spectantes sive civiles s. criminales ac in his causis imperium exercendi. Hæc descriptio generalis est includens merum & mixtum imperium; quamvis excludat jurisdictionem, quam vocant, simplicem, hanc enim pure talem cum Goveano & Cujacio ad *L. Imperium. ff. de Jdicit.* non agnosco ex eo, quia sine modica saltem coercitione jurisdictionis nulla. *L. f. de offic. ej. cui mand.*

IV. Dividitur jurisdictionis variis modis a nostris JCrts, quorum catalogum exhibet Paurmeist. *Lib. 1. cap. 12. de Jdicit.* Cum autem promiserim me de jurisdictione acturum, ut quantum possibile est, & juris nostri & usus moderni habeatur ratio, vix videtur commodius eam posse dividi, quam ut dispescatur (1.) in Ecclesiasticam & Sæcularem. Illa exercetur in causis ecclesiasticis & in personas ecclesiasticas. Hæc respicit causas sæculares & profanas. Reink. *de R. S. & E. lib. 3. §. 1. c. 10. n. 15.*

V. Utraque subdividitur in criminalem & civilem. Ecclesiastica criminalis in delicta ad Ecclesiam pertinentia; animadver-

inadvertit, puta in Simoniam, Heresim, Schisma, Apostasiam, Blasphemiam, fortilegium & similia. Civilis locum habet in decimis, Præbendis, dignitatibus, personatibus, beneficiis omnibus ecclesiasticis, vestibus aliisque ornamentis ecclesie. Criminalis secularis est, quæ corpus afficiendo in maleficos exasperatur. *L. 6. pr. de off. Pro-Conc.* Civilis occupatur circa causas negotiaque civilia Privatorum interesse potissimum concernentia: Bachov. *de Jurisd.*

VII. (2.) Bona quidem quorundam Neodericorum divisio est in ordinariam & extraordinariam, illa omnem legitime constitutum Magistratum concomitatur; per hanc speciali lege, Scto aut Principis constitutione tributa veniunt. *Compend. Lanterb. in tit. ff. de Jdct.* Hodie tamen, cum, quæ quondam specialiter concessa sunt, v. g. tutoris datio *L. 6. §. 2. de tutel.* cognitio ac interpositio decreti super prædiis minorum alienandis *L. 2. §. 1. de off. ej. cui mand. Sc.* jure Magistratus ordinario veniant, est inutilis. *Vinn. c. 5. n. 4. de Jdct.*

VIII. (3.) Dividitur in contentiosam & voluntariam, illa exercetur in nolentes *l. 2. de off. Pro-Conc.* hæc inter volentes & consentientes apud Magistratum peragitur. Uti contingit in adoptione, emancipatione ac manumissione per vindictam. *L. 2. §. 3. de off. Pro-Con.* atque hi actus, aut, ut *in alleg. l. 3.* vocantur, legis actiones de plano expediuntur extra jurisdictionis locum & territorium *§. 2. l. de liberr.* imo & in propria causa exercentur *l. 2. §. 4. ff. de adopt.*

VIII. (4.) In Principalem & minus Principalem; illam exercet judex ordinarius ex proprio munere s. officio publico sibi delato. *L. 5. ff. de Jdct.* hæc subdividitur in delegatam ac prorogatam; delegata exercetur non ex officio aut jure proprio, sed ex commissione sibi facta. *L. 5. §. 6. de Jdct.*

IX. Hæc autem commissio vel est universalis s. generalis aut particularis ad unicam solummodo causam. Si sit generalis & universalis in specie mandata jurisdictioni dicitur: atque

atque hanc ordinariam esse, negari non potest, ab ordinario tamen exerceri, cum lex non deferat, sed tantum confirmet *l. 6. ff. de Jdicit.* ne temere dicam. Si sit particularis ad unicam tantummodo causam in specie audit delegata jurisdictio, *arg. l. 5. c. de judic.* Exinde statuet differentiam inter jurisdictionem mandatam ac delegatam, cui accedit, (1.) quod a mandatario ad proxime superiorem *l. 1. §. 1. quis & a quo appell. a delegato* autem ad delegantem provocetur. *L. un. C. qui pro sua jurisd.* (2.) Mandatarius det judicem *l. 12. §. 1. de jud.* non vero delegatus *l. 5. C. de judic.*

X. Prorogata jurisdictio est, quæ extravagatur terminos judicii certis limitibus circumscripti. Atque hoc cum vel fiat ex voluntate partium, vel lege ita disponente *l. 1. C. l. 18. ff. de Jdicit.* haud incommode eam dividit Bachov. *ad Welsenb. n. 8. de Jdicit.* in spontaneam & legalem.

XI. Spontanea procedit ex consensu partium eoque vel expresso additione judicis jurisdictionem jamdum habentis firmato *l. pen. C. de Pact.* aut tacito, qui inducitur ex litis contestatione illius, qui poruisset forum declinare, *l. 4. C. de Jdicit.* modo absit error *l. 15. eod.* quo casu judicium non tantum quoad errantem, sed & quoad scientem nullum est. Jason. *in l. 15. b. 1.* Hæc prorogatio fit de persona ad personam *l. 14. de Jdicit.* vel de re ad rem *l. 74. §. 1. ff. de judic.* modos de loco ad locum *arg. l. fin. ff. de Jdicit.* & de tempore ad tempus, quia tempore finito expirat jurisdictio adeoque prorogari nequit, LL. civiles non agnoscunt.

XII. Quamvis hodie aliqui, inter quos est Brunnem. ad *l. 1. ff. de Jdicit.* contendant jurisdictionem spontaneam expirasse & subditos, si sine licentia ordinarii in alienum indicem consentiant, mox pœnalibus mandatis revocari; id tamen non indistincte verum puto, sed tunc demum, si commodo publico vel juri tertio quæsito præjudicium fiat. *Gail. i. O. 40.* Hinc qui privilegio exemptionis gaudent, revocant transerunt

unters ad alium iudicem, quia privilegium illud non subdito-
rum solum sed potissimum superioris favorem concernit.
Idem est in vassallis & clericis, annuera studiosos cum Engel
in decret. de off. iud. n. 33. itidem reducuntur subditi a juris-
dictione ordinarii in totum se eximere & alii se submittere
volentes. *Mev. P. 1. dec. 742.* *Berlich. P. 1. c. 5. n. 31.*

XIII. Prorogatio legalis fit lege ita disponente: Sic
qui me in iudicio convenit coram eodem iudice super re-
conventionem respondere cogitur *l. 11. §. 1. de iudi. l. 14. & Auth.*
seq. C. de sent. & interlocut. Hoc tamen fallit in causis crimi-
nalibus criminaliter intentatis. *L. 1, 19. de his qui accus. non poss.* in
causis executivis *Bald. in auth. & consequenter C. de sent. & inter-*
locut. n. 17. in causa depositi *c. bona fide de depos. §. 30. l. de act.* in
causa appellationis *l. Papinianus 14. C. de sent. & interlocut.* in
causa spoliis. *c. 4. de ord. cog.* in Excommunicato. *C. cum inter*
5. de except. & deniq; in causis spiritualibus, quia illarum natura
& qualitas obstat, quo minus ad alium iudicem trahi possint.

XIV. (5.) Divisio jurisdictionis in jurisdictionem sim-
plicem & imperium non paucos numerat Patronos: illam di-
cunt consistere in cognoscendo ac pronunciando quin ullam
coercitionem annexam habeat; ast nolo cum iis manifeste
impingere in *l. fin. de off. ej. cui mand. & l. 75. ff. de iud.* ex quibus
pronum est colligere jurisdictionem absque omni imperio in-
anem ac luforiam esse. Huc etiam facit *l. 3. h. t.* ubi iustus
mixto imperio exempli loco adponit bonorum possessionem
ad ostendendam indissociabilem huius imperii ac jurisdictio-
nis communionem. Atque ita objecto & subjecto semper
sunt conjuncta & quicumque jurisdictionem habet, habet et-
iam mixtum imperium, non tamen nego quaedam esse ma-
gis jurisdictionis quam imperii & vicissim. *Obrect. c. 12. de*
judic. n. 24.

XV. Hoc scilicet Imperium definiiri potest, quod sit pote-
tas jubendi, quae exercetur nobili iudicis officio. Estque vel

B

mi-

mixtum vel merum: mixtum est potestas jubendi, quæ exercetur nobili iudicis officio Privatam utilitatem respiciens. Mixtum dicitur ex eo, quod non sit purum a jurisdictione *l. 3. ff. de jdict.*

XVI. Imperium merum est Potestas jubendi, quæ officio iudicis nobili per accusationem exercetur Publicam respiciens utilitatem. *Gl. in Prolocut. ad tit. ff. de jdict.* dicitur merum, quia Principale officium iudicis præsuppositive facti cognitionem requirens in jubendo & exequendo consistit, lege ipsa dictante pœnam & quasi jurisdictionem exercente. *Eng. in decret. de off. Jud. n. 16.*

XVII. Hoc Imperium suos habet gradus: alii faciunt sex Bart. *in l. 3. h. t.* cum suis affectis. Alii secundum quatuor elementa quatuor Mascard. *de Prob. Cl. 403. n. 4.* alii commodius statuunt tres: ad Primum referunt omnia Pœnarum genera, quibus vita naturalis aut spiritualis adimitur. *L. 8. § 1. 2. 3. de pœnis.* Adde damnationem ad bestias, Bannum imperii. *Gail. 2. de Pac. Pub. c. 6.* Ad secundum omnes animadversiones, quibus vita civilis aufertur, uti est damnatio in metallum &c. Ad tertium quæ ad existimationis, non capitis pœnam pertinent, huc relegatio, incarcerationio ob crimen publicum. *Stephan. lib. 1. de Jurisd. c. 10. ad l. 8. §. 9. de pœnis.*

XVIII. Quæres: an sit differentia inter jurisdictionem criminalem & merum imperium? R. jurisdictionis criminalis vim in mero imperio consistere, adeo ut non raro meri imperii appellatione & illa contineatur ac veluti absorbeatur, negari non potest. Vera tamen manet differentia, juxta Bachov. *ad Treml. Disp. de Jur. ib. 3. lit. c.* Sic multi simplicem notionem habent, inquirendi scilicet verum, falsum vestit crimen, quod intenditur, si falsum reum absolvunt, si verum condemnare non possunt, sed sententiæ pronuntiationem alii reservare debent. Exemplo *l. 6. pr. ff. de off. Pro-Conc.* Ita Colonienfes in criminibus habent apprehensionem, incarcerationem

cerationem, & torturam, sententiam tamen profert Archi-Episcopus Elector, & per Præfectum den **Blutrichter** exequitur. Imo etiam quidam habent notionem & sententiæ pronunciationem, non tamen exequi possunt. *L. 1. §. 3. ff. de off. Præf. urb.* ita Universitas Moguntina, quamvis desuper non semel altercatum fuisse memini.

XX. Plures divisiones jurisdictionis qui desiderat, adeat supra *th. 4. cit.* Paurmeist. ad quem me brevitatis gratia remitto.

CAP. III.
CAUSA EFFICIENS.

XX.

Jurisdictionem quoad substantiam suam trahere originem ex jure Gentium ac divino quis dubitat? Nam, civitatibus regnisque conditis, non tantum ratio naturalis suasit constitutam sic hominum societatem diu consistere non posse, nisi publica gubernetur Potestate *arg. l. 5. ff. de I. & I. Pessimum enim omnium animalium est homo, si alienus fiat a lege.* Arist. 1. *Pol. c. 2.* Verum etiam DEUS ipse toties iterumque in sacris Paginis supremum imperat gubernatorem: ait sapiens Prov. 11. v. 14. *ubi non est Gubernator Populus corruct.* Prov. 8. v. 15. *per me Reges regnant & legum conditores justa decernunt.* Ex quo nunc facilis conclusio pro proposito.

XXI. Circa nativitatem Populi Romani in variis variè fluctuasse juris dicendi facultatem, testantur annales historici. Sed omisis antiquitatibus ad nostra tempora propius lubet accedere. Tribuit igitur jurisdictionem imprimis Lex & Canon. *C. duo simul, de O. I. O. c. 2. in 6 de off & potest. Vicar. a quo capitulo Vicarius generalis suam habet jurisdictionem. L. 1. ff. de off. ej. cui mand.*

XXII. Deinde communicat eam summus Pontifex verus omnis jurisdictionis Ecclesiasticæ fons, & Princeps

ceps secularis. *C. a iudicibus* 33. 2. 9. 2. *can. omnes Basilicae*, 16. 9. 7.

XXIII. Respectu totius Imperii nostri Germanici jurisdictionem communicanda residet in Imperatore. Sic Maximilianus I. jurisdictionem & quidem ordinariam Camerae Imperiali detulit. *O. C. an. 1495. a. 1. C. P. I. tit. 25. §. 4.* respectu vero particularium in Imperio Rerump. est in singulis statibus imperii, qui eam vi supremæ, qua gaudent, jurisdictionis Territorialis in suos subditos per Investituram vel aliam concessionem non tam personaliter, quam & realiter, Experientia teste, transferunt.

XXIV. Cum legis virtus sit tribuere jurisdictionem, de consuetudine, utpote quæ eandem cum lege vim habet *l. 35. §. 38. ff. de LL.* Dubitare nolo, quin & hæc jurisdictionis tribuendæ virtutem nutriat.

XXIV. De Præscriptione major est difficultas ex eo, quod nullus textus mentionem faciat, Præscriptione acquiri jurisdictionem, sed omnes loquantur de consuetudine. *C. possessor. de R. I. in 6. arg. C. irrefragabili* 13. 1. *Pr. de off. ord. l. 8. C. de divers. off.* Affirmativa tamen tam quoad mixtum quam merum imperium est communis. *Zxf. ff. de Jelit. n. 32.* Præscribuntur enim Regalia dignitati Principis reservata, cur non imperium mixtum & merum? Quoad textus de consuetudine loquentes observa quod toties per ly consuetudo Præscriptio intelligatur in jure, quoties per eam Privato vel potius huic in individuo jus quæritur. Engel in decret. *l. 1. tit. 32. n. 23.* Tempus contra Principem sine titulo est immemorabile, cum titulo 40. ann. *arg. c. 1. de Præscript. in 6. c. 26. §. præterea X. de V. S.* contra Privatos idem, quod obtinet in servitutibus præscribendis.

XX. Venditione, Donatione, Permutatione & ultima voluntate in alterum transit jurisdictio. Hic Castrovendito, si quæ ante cohaserit jurisdictio a vendente non reservata, eadem

eadem in eminentem transit. Si vero ante nulla cohaerit, mentio tamen jurisdictionis facta, qualis concessa fuerit, ex literis concessionis judicare licebit. In dubio beneficiaria lege alicui donatam potissimum secundum Stylum Germaniae non judico Bassa majorem esse cum Struv. *S. I. F.*, c. 6, sb. 18. Stryck, *U. M. de jdict.*, §. 13.

XXVII. Mandato transit jurisdicctio *l. 5. ff. de jdict.* ea- que tota vel Pars *l. 16. & 17. eod.* Si tota: Mandatarius habet potestatem delegandi. *L. 12. §. 1. ff. de jud.* Si Pars: Fieri nequit subdelegatio. *L. 5 ff de jdict.* Excipe delegatum summi Principis, *l. un. c. qui pro sua jdict.* qui subdelegat ex causa, *c. Pa- storalis 28. de off. & potest. jud. delegati.* Vide tamen *c. fin. §. is. autem. c. 12. eod.*

XXVIII. Imperium quod concernit: mixtum indubie mandatur *l. 1. de off. ej. cui mand. jdict. l. fin. l. 4. §. 1. eod.* Excipe negotia, quorum gravitas electam Personae industriam exigit. *L. 2. 3. de off. Pro-Con. l. 8. pr. §. 18 de transact.* Quoad imperium merum, explorata res est, jure civili delegari non posse *l. 6 pr. ff. de off. Pro-Cons. l. 1. §. 8. ad Scium Turpill.* Ple- raque tamen, quae ad secundum Imperii gradum pertinent, in casum absentiae mandari posse probat *l. 1. de off. ej. cui mand. Jurisdicct.*

XXIX. Moribus nostris Passim practicatur delegatio meri imperii ab iis, qui illud sine industriali Personae ele- ctione tanquam Patrimoniale bonis suis annexum habent. In quos vero ex Privilegio translatum, a se nec hodie abdicari posse, recte defendit Struv. *S. I. C. Ex.*, 4, sb 81. *Vinn. cap. 3. n. fin.*

CAP. IV.

SUBJECTUM ACTIVUM JURISDICTIONIS ECCLESIASTICÆ.

XXX.

Summus Pontifex, ut fide catholica credere licet, primum post Christum in terris dignitatis locum obtinens, Monarcha absolute & independenter in materia spiritali salutem animarum ac rectam Ecclesiæ sibi a DEO commissæ gubernationem concernente leges condit ac jus dicit. Huic datæ sunt a Christo claves regni Cælorum, Episcopus Episcoporum est, cum quolibet ordinario concurrentem jurisdictionem exercet *c. cuncta 17. c. per Principalem, 21. can. 9. q. 3.* Hujus dignitas præeminet Regiæ & Imperatoriæ. *c. duo sunt. 10. dist. 99. c. solite 6. de Maior. & obed.* Idem cum Christo in terris tribunal habet. *C. si Papa. 6. dist. 40.* solutos ligat & ligatos solvit. In jure tamen divino non dispensat.

XXXI. Concilia Generalia auctoritate s. Pontificis congregata LL. universales pro toto orbe Christiano ferunt, fideique controversias decidunt. Hisce autem Conciliis soli regulariter Episcopi intersunt jure proprio & ordinario dicitive judicantes: quia hi soli Pastores fidelium a Christo constituti. *Act. 20. v. 28.*

XXXII. Cardinales viri ex universis mundi Partibus selectissimi magna quidem in Ecclesia Romana auctoritate gaudent: eligunt enim S. Pontificem & ex iis eligi solet *vid. tamen c. licet. 6. de elect.* ardua negotia cum eorum consilio, sed de honestate tantum ac decencia a S. Pontifice expediuntur: In Ecclesiam tamen universalem jurisdictionem nullam habent, nequidem sede papali vacante extra casum necessitatis. *Clement. ne Romani de elect.*

XXXIII. S. Pontificis vices in provinciis sibi commissis peragentes sunt legati *c. 4. de off. deleg.* iique vel de latere,

tere, vel misſi, vel nati, *c. pen. eod.* Legati de latere e numero Cardinalium ſunt. Atque horum non eſt infima poteſtas, ut videre eſt *ex c. 2. de privil. in 6. arg. c. excommunicatis X. & C. ad eminentiam 20. de off. leg. c. 1. de V. S. in 6. c. 36. §. 1. de elect. 6. c. 1. de off. leg. in 6. &c.* Si quis Clericus & Prælatus ordinarie de confilio Cardinalium in Provinciam mittitur, dicitur legatus miſſus. Hujus Potestatem colliges *ex arg. c. ſane de off. jud. deleg. & c. f. eod.* Reliquam ex literis commiſſionis deſumes. Legatorum natorum, quibus in Particularibus Eccleſiis ſuis nomen, dignitas ac munus Apoſtolicorum legatorum competit, poteſtas tota quanta ex forma Privilegii dependet. *Eng. l. 1. §. 30.*

XXXIV. Florentiſſima in Eccleſia noſtra Archi-Epiſcoporum juridiſtio ſuffraganeos ſibi ſubditos habet, illos in cauſis civilibus judicat, præcipit ac negligentes ad officium compellit, *c. ſollicitudinem de appell.* Provincias viſitat vid tamen Conc. Trid. *ſ. 24. de Reform. c. 3.* Accepto Pallio Concilium Provinciale cogit, Epiſcopos conſecrat, &c. *c. quod ſicut 18. §. præterea c. 3. de elect.* actus vero juridiſtionis etiam nondum accepto Pallio recte peragit. Plura vide *in c. 1. de Pœnit. in 6. c. nullus Primas 9. q. 3 c. conqueſtus 9. q. 3* Cauſas criminales gravioreſ depositionem aut privationem merentes non judicat. Minoreſ Concilium Provinciale cognofcit ac terminat. *Trid. ſ. 24. c. 5. de Reform.*

XXXV. Epiſcoporum, qui ab univerſalis Eccleſiæ Paſtore in Partem ſollicitudinis vocati, poteſtas alia eſt ordinis, quæ in ordinando, conſecrando, & confirmando, alia juridiſtionis, quæ in lites decidendo, Concilium dioceſanum cogendo, viſitando &c. conſiſtit. In cenſuris & irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excepto homicidio, aliisque ad forum contentioſum jamdum deductis, diſpenſat. *Trid. ſ. 24. c. 6. de Reform.*

XXXVI. Ut ſubditi honeſtos intra juridiſtionis limites

mites retineantur, & ne Ecclesia aliquod detrimentum patiat-
tur, valde utiliter a sacris canonibus constitutum habemus, ut
fede vacante transeat jurisdictio in capitulum *c. his que II. c.*
tum olim. 14. de Major & Obed. quod usque adeo verum est,
ut Capitulum omnia, quæ sunt contentiosa jurisdictionis &
Episcopo jure ordinario competunt, aut quorum expeditio-
nem necessitas aut justitia suadet, expedire possit. *C. 7. de eo,*
qui duxit &c. c. un de Maj & Obed in 6. c. 14. X eod. c. 1. de In-
stit. in 6. Beneficia vacantia nulla confert. *c. illa 2. ne sede va-*
cate. Non nisi arctato infra annum a die vacationis dat Re-
verendas, *Trid. sess. 7. c. 10. de Reform.*

XX XVII. Quodsi Episcopus ob ampla, quæ in spiri-
tualibus occurrunt negotia, omnibus superesse non possit, ge-
neralem in spiritualibus vicarium, considerata diæceseos
amplitudine, unum vel plures designat. *C. quoniam 3. de off. ord.*
Hic ex eodem, cujus vicem gerit, tribunali jus reddit, *c. Ro-*
mana. de appell. in 6. Hinc via appellationis ab eo ad Episco-
pum est interclusa, *c. 2. de consuet. in 6. conf. Sanctez &c. lib. 3.*
de Matrim. Disp. 29. Potestas illius extra specialem conces-
sionem ad meras & voluntarias gratias v.g. beneficiorum col-
lationem &c. se non extendit. *Garc. P. 5. c. 8. n. 46.*

XX XIX. Inter religiosos ne effrenata prædominetur
licentia & ut indisciplinati præfixos inter debita obedientiæ
cancellos contineantur & ii suos, qui illis jus dicunt, habent
Prælatos. Sunt autem alii Prælati Exempti, qui suos in Regu-
lares quasi Episcopalem jurisdictionem exercent. *Vid. tamen*
Conc. Trid. s. 25. c. 14. de Regul. alii non exempti, qui ad mini-
mum in causis ad disciplinam pertinentibus ordinarii suo-
rum Regularium judices existunt. *arg. c. quando de off. ord.*
Hinc reprobos puniunt, inflexibilia & contumacia capita soli
subtrahunt & incarcerant. *C. cum in Ecclesiis de Maj.*

& obed.

CAP.

CAP. V.
**SUBJECTUM ACTIVUM JURISDI-
 CTIONIS SÆCULARIS.**

XL.

SI antiqua respiciamus tempora, varia sane Resp. Romana Shabuit fata; Principio enim dominabantur Reges. His ob tyrannidem Tarquiniū superbi ejectis, tumultuarie cepit vivere populus, mox Consulibus, mox Dictatoribus juris dicendi facultatem concedens. *L. 2. §. 14. §. 18. ff. de O. I.* tandem & hanc regnandi formam pertæsus, summa rei L. Regia Privative redibat ad Augustos, *all. L. §. 11.* His antiquitatibus non immorabor, sed nostrum tempus paulo fufius inspiciam.

XL I. Regimen Philosophia moralis triplex assignat, Monarchicum, cum unus omnibus dominatur & jus dicit, ut Imperatores, Reges &c. Aristocraticum, cum Potestas gubernandi penes Optimates, ut in Republica Veneta & Genuensi. Democraticum, cum communibus suffragiis populus Remp. moderatur, uti in quibusdam partibus Helvetiæ. Ex his facile est decidere, penes quos diversis in statibus sit suprema jurisdictio.

XL II. In Monarchia & Aristocratia, cum ob regnorum latitudinem omnes omnino subditi immediate judicari nequeant, per provincias & districtus varios variis, justitiam administrandi facultas communicatur & subcommunicatur.

XL III. Imperium nostrum quod attinet, illi verus Monarcha Præsidet, nullumque in consortium & Regimen Majestaticum admittit. Reink. *de R. S. & E. l. 1. cl. 3. c. 9. n. 1.* atque ille, solus universalem in Imperio jurisdictionem habet, illiusque universalis jurisdictionis Dominus. *Gail. 1. de P. P. c. 11. n. 4.* Aliter sentientes in ipsummet Imperatorem Augustissimum, ipsummetque Imperium, quod sacro-sanctum no-

C

bis

bis esse debet, injurii sunt, illudque quasi furialiter adoriuntur & decus Germanicum & legitimum civium obsequium per cuniculos monstrosarum opinionum subruere conantur: Profana illa scripturientium rabies & dirum cacothetes in Rep. præsertim literaria minime tolerandum; nam cum Imperator sit Academiarum Pater & fons & illius gratia Doctores, Magistri & Studiosi honores & Privilegia amplissima consequuntur, qua impietate se illaqueunt illi, qui summum illud Imperii & totius Orbis Christiani caput voce calamoque deprimunt? &c. Sic a Duce Saxonie Rudolpho Max. reprehensos esse literatos, qui pestilenti inutilium disputationum hectica furentes Imperii germanici Monarchiam arietant, testatur *Burgmeiß. in statu Equestri c. 30. p. m. 355.*

XLIV. Hanc universalem juris dicendi facultatem exercet Imperator per duo florentissima Imperii germanici dicasteria judicium scil. Aulicum & Camerale; illius caput & judex est ipse Imperator *R. S. O. tit. 1. pr.* Hujus est aliquis ex ordine Principum Germanie, Comitum aut Baronum delectus. *Blum. Process. Cam. tit. 5.* Constituitur a solo Imperatore *R. I. d. A. 1548.* & representat Imperatorem. *Myns. 4. O. 5.* Atque hæc duo Dicasteria, exceptis excipiendis, concurrentem jurisdictionem habent. *Gail. 1. O. I. n. 7. O. 121. n. fin. Vid. O. C. P. 1. tit. 49. pr. R. S. O. 1. 2. pr.*

XLV. Rex Romanorum, qui vivo adhuc & Spirante Imperatore eligitur, est Perpetuus Imperii Vicarius. *Schönborn. 5. Polit. c. 19. Steph. 2. de j. d. P. 1. c. 2. n. 51.* absente vel impedito Imperatore omnia Imperii jura nomine & jure proprio exercet. *O. C. P. 1. tit. 1. §. nemlich wollen die Römisch, 2c. item tit. 4. pr. Gail. de P. P. c. 6. n. 9. & habet idem cum Imperatore tribunal. Arg. c. non putamus de consuetud. in 6.*

XLVI. A. B. c. 5. §. 1. & 2. ad Pericula interregni præcavenda duos Imperii Vicarios Electorem scil. Palatinum & Saxonicum constituit. Hodie est Elector Bavarus & Saxo. *Pac.*
Germa-

Germanico-Suec. A. 4. §. & Primo quidem. Hi vices Imperatoris sustinentes ordinariam & omnimodam jurisdictionem habent. *A. B. cit. L. judicantque in omnibus causis civilibus, criminalibus & feudalibus Carp. de L. Regia c. 11. Sect. 15. n. 6. per generalitatem textus A. B. d. r. 5.*

XLVII. Status Imperii sic dicti, quod in illis ceu membris i. e. Basibus & columnis ipsum Imperium stet ac subsistat; respectu territoriorum suorum sunt imperantes instar Regum sublimi jure gaudentes. Hinc jurisdictionem, quam vocamus, territorialem sibi propriam habent, eamque per investituras, Privilegia aliosque modos vel realiter vel personaliter aliis non quidem privative sed subordinate communicare solent. Ex modo dictis tamen nolim concludas, quasi omnem reverentiam ac obedientiam erga Imperatorem exuisent, contrarium enim evincit illud vinculum, quo imperio ac Cæsari ad fidem & obsequia semet ipsos obstrictos agnoscunt. *Vid. Stryck. E. I. F. app. n. 14. & seq.*

XLVIII. In Imperio reperimus Austregas, qui membrorum imperii quorundam immediatorum controversias cognoscunt ac definiunt. Hoc Privilegium status non habent ex inveterata quadam consuetudine ut putat *Rumel. ad A. B. p. 2. Disp. 1. Coroll. 1.* sed id Primitus A. 1502. ad præviam Electorum Supplicationem a Maximil. I. acceperunt. Quod ipsum Carolus V. in Privilegio Norimbergenfibus concessio A. 1540. modo laudato Imp. expressis verbis adscribit. *Schubb. de Austreg. c. 2. n. 21.* Atque horum jurisdictio ordinaria est. *Arg. l. 6. de Jdich. O. C. p. 2. tit. 2. & 3.*

CAP. VI.

SUBJECTUM PASSIVUM JURISDICTIONIS ECCLESIASTICÆ.

XLVIX.

IN spiritualibus universus orbis Christianus jurisdictioni Eccle-

Ecclesiasticæ tam quoad causas, quã quoad personas subjacet. Et quidem Personæ Ecclesiasticæ non tantũ in causis spiritua- libus, sed etiam mere temporalibus *c. 12. de for. Comp.* tam arctè foro clericorum subsunt, ut sub nullo prætextu eidem renun- ciare, & iudicis alterius nequidem Ecclesiastici, multo minus laici jurisdictionem in se prorogare possint. *C. significasti 18. de for. Comp.* & si quis laicorum clericum sub quocunque præ- textu. *Trid. s. 2. c. 29. de Reform.* ad forum sæculare trahere præsumpsit, excommunicationis fulmine percutitur, *c. 2. de for. comp.* capi tamen potest, si necessitas incumbat, ob deli- ctum Reip. perniciosum a iudice laico, ut Ecclesiastico extra- datur. *Abb. in c. cum non homine 2. de judic. n. 12.*

L. Statuo igitur venerabilem imprimis clerum quoad omnes indistincte causas jurisdictioni Ecclesiasticæ subjacere, *erg. c. si clericus 5. de for. comp.* imo si quis, cæpto co- ram laico iudicio, fiat clericus, mox omnis potestas laica expirat.

L I. Quæres, cui pareat S. Pontifex? R. legem non ha- bet, sed tota ipsius causã DEI iudicio reservatur, *c. si Papa 6. dist. 40.* Consequens est, quod regulariter a nemine deponi possit. Nisi hæreticus factus, aut se talem exterius gerat ideo submotum fuisse Liberium testatur Bellarm. *l. 4. de Pont. c. 9.* quamvis alii eum a Constantio Imp. A. 357. quia hæresin Arri- anam approbare noluit, de factò fuisse depositum velint; aut tempore schismatis, si nesciatur, quisnam ex Pluribus sit ve- rus Papa: Exemplum dat Annus 1414. quo post flammam Husiticam a Concilio Constantiensi removebantur Joannes XXIII. Benedictus XIII. Gregorius XII. & substituebatur Martinus V.

L II. Personæ sæculares omnes, quas orbis Christianus habet, in materia spirituali aut Ecclesiæ vel animarum salu- tem concernente jurisdictionem Ecclesiasticam venerantur aut saltem venerari debent. Ad mere temporalia tamen & pro- fana

fana non nisi per indirectum se extendit, si nempe involvant præjudicium Ecclesiæ, Peccatum, obligationem conscientiæ, aut si in foro civili audientia denegetur. *Dd. in c. novit, 13. de judic.*

LIII. Judæi & omnes nefariæ Mahometis Perfidiaæ adhaerentes Turcæ, Tartari, Persæ, Arabes, Mauri, Africani, &c. Ecclesiæ non parent, neque curantur ab ea, quia nunquam per Baptismum in Ecclesiam ingressi sunt, qui autem foris sunt, nihil ad nos, *1. ad Corinth. 5.* quoad hæreticos, schismaticos, & apostatas salva est jurisdictio Ecclesiæ, si non actualis, saltem habitualis.

CAP. VII.

SUBJECTUM PASSIVUM JURISDICTIONIS SÆCULARIS.

LIV.

Jurisditioni sæculari omnia Reip. politica membra, causæque, quæ temporalem gubernationem proxime spectant, subdita sunt. Hæc jdictio non est ita individua sicut Ecclesiastica *Laym. 1. 1. l. 1. 2. 4. c. 7. n. 30.* Siquidem non unum, ex quo descendit Principium respicit, sed plane diversissima: quilibet enim Rex aut Resp. libera non nisi DEUM & gladium sibi superiorem recognoscens summum respectu subditorum suorum caput est & supremam habet jurisditionem, quæ per diversas Regni partes diversimode communicata & subcommunicata ab inferiore rursus ascendit ad superiorem, nisi obftet beneficium de non appellando, quale habent in Imperio nostro Electores. *A. B. iii. 8. & 11.* Archi-Duces Austriae a Carolo V. Duces Saxoniae a Ferd. I. &c. *Blum. Proceß. Cam. tit. 46. n. 32.*

LV. Modo dicti tamen Privilegii de non-appellando intellectus non est, quasi jus extremæ cognitionis & ultimæ provocationis ad Imperatorem per id extinctum foret, sed



hoc, cum a Majestate utpote indivisibili avelli non possit, falvum manet Imperatori & quam maxime in casu denegatae justitiae se exserit *Arnif. de jur. Majest.*

LVII. His praemisfis, omnia immediata Imperii membra potestati imperatoriae subiecta sunt, idque vel ratione personae, tantum, vel ratione bonorum tantum, vel ratione utriusque. Ratione solius personae, subditi sunt principes Imperii nulla ab Imperio feuda recognoscetes. Huc pertinent, qui ob sola in Imperium merita tales, ab Imperatore Salutati. Ratione bonorum tantum, personae Ecclesiasticae bona ab Imperio habentes. Ratione utriusque principes saeculares immediati bona ab imperio possidentes.

LVII. Haec igitur personae & incivilibus & criminalibus causis regulariter judicantur a Caesare. Vid. *Blum. Procest. Cam.* enumerantem causas jurisdictionem Caesarem fundantes.

LVIII. Poena principibus Imperii immediatis infligenda non est omnibus eadem; sed aliam nominare ordinariam, aliam extraordinariam convenit. Illa inter saeculares masculos aut eos bonis privando, aut ex Imperio proscribendo, vel ultimum etiam supplicium iis irrogando viget.

LIX. Haec scilicet. Extraordinaria mitius in primis respicit Principes Ecclesiasticos, quibus in legem pacis publicae peccantibus Regalia & Imperii privilegia, sententia declaratoria media, tantum aufert, minusque solemniter bannizantur. Dein cum foeminis immediatis in Edicta imperii peccantibus mirius agit. Peccant enim ex Theologorum sententia viri gravius, quam foeminae, caeteris paribus, quia minus rationis ob imbecillitatem sexus habere creduntur, *arg. e. quod proposuisti 32. q. 7.* Hinc comitentes in edictum Pacis publicae bonis, beneficiis, favoribus atque Privilegiis tantum privantur in Imperio, sine profligatione ab igne & foco.

LXX. Subditi Imperii mediati suis immediate superioribus & superioritate territoriali gaudentibus obediunt. Neque

que Cæsar Capitulationibus & Imperii Constitutionibus ligatus subditos mediatos ad se regularitet vocare potest. *Instrum. Pac. Osnab. A. 8. §. gaudeant.*

LXI. Clerici neque in realibus neque personalibus parent laicis, quia his omnis potestas judicandi Ecclesiastica absolute adempta est. *C. 2. de jud. nisi fit vasallus & occasione Feudi quaestio oriatur. c. ex transmissio 6. de foro comp. alium casum habet c. clericus un. de vit. & honest. cleric. in 6. Q. an iudex laicus judicet in causis decimarum & juris patronatus? R. Si possessorio agatur, affirmative Fachin. 8. controuv. 15.*

CAP. VIII.

FORMA ET FINIS.

LXII.

Forma jurisdictionis consistit in ipsa facultate aut Potentia ad sic jus dicendum. Aut si mavis, pone eam in ipsa voluntate ac juris dicendi ratione. In his non oportet tritari s. unum s. alterum lubeat, cum nil interfit ad forum utrumque, modo in re conveniamus.

LXIII. Hinc, omisis aliis, est, quod delegatus legem commissionis suæ strictissime observet, nec subdeleget, neque executionem sententiæ habeat. *Gail. l. O. I. n. 52. de connexis tamen & accessoris atque accessoriorum accessoris re-ete cognoscit & judicat. Concesso enim uno videntur & ea concessa, per quæ venit ad illud. Felin. in c. translato n. 6.*

LXIV. An jurisdictionis patrimonialis, an personalis, & si patrimonialis, an tantum ad hæredes familiæ, an ad omnes indiscriminè descendentes ambulet? voluntatem concedentis inspice. Si concessa generi aut posteris, femina & ex iis nati dimittentur inanes, l. 1 §. 1. ff. de jure Immunit. Si concessa alicui pro se & descendentibus ad omnes, non attenda sexuo differentia, venit, §. 1. *Auth. de Hæred. ab Intest. venient. ratis diversitatis est, quæa quodcunque sub nomine posteritatis conces-*

concessum, refertur tantum ad nomen familiae *l. vocatio ff. de mun. & honor.* familiam autem tantum consistere in masculis, tritum est.

LXV. Finis jurisdictionis, est provinciarum ac subditorum tranquillitas, omnisque confusionis atque rixarum privatarum præcipue realium evitatio. Nam ne quis progenio sibi met ipsi jus dicat in totius Reip. perversionem ac detrimentum quemadmodum a turbulento rerum statu ante Maximil. I. non triste unum accepimus exemplum. Præterea ut tuta sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis, formidato supplicio, refrænetur malitia, perversa audacia ac viperina nocendi facultas, ratione duce hæc omnia sub eandem sunt revocata.

CAP. IX.
EFFECTUS.

LLVI.

Insignis jurisdictionis effectus ex præcedentibus facile inferendus. Enim vero sola & unica jdictio constitutam inter creaturas racionales sociabilitatem ac provinciarum salutem sancte custodit & conservat.

LXVII. Est autem hic effectus alius respectu parentum, alias respectu Imperantium. Imperantibus tribuit vim ac potestatem subditos bona in pace gubernandi & (ubi opus est) severo rigore ac rigorosa severitate utendi; nam ubi rigor, ibi rigor, audit adagium. Hujus tamen jurisdictionis sui, quos non transgreditur, positi sunt, cancelli. Sic extra territorium se non extendit: neque regulariter in peregrinos in territorio existentes quoad statuta particularia s. consuetudines, *arg. l. 19. §. 2. de jud.* Nec in res mere internas, *c. cogitationis 14. de Pœnit. dist. 1.* neque in bruta, quæ omni agendi consilio probabilis sunt destituta.

LXVIII. Nocens probatus, quem iudex privata scientia scit

scit innocentem, etiamsi agatur de vita hominis aut membrorum mutilatione, vi iudiciorum iuste condemnat. *l. illicitas 6. §. veritas. l. 1. ff. de off. praef. Can. iudicet 4. c. III. q. 7.*

LXIX. Iudiciorum effectus respectu Parentum est, quod privata manu se invicem oppugnare haud possint, sed ab eo, qui iudiciorum praestit sententiam expectare coguntur idque sub poena amissionis juris, si quod in re vel ad rem habeant, *l. 7. C. unde vi.* Hinc via Paulo mitiori scilicet iudicaria incedat ferreamque manum retrahat necesse est. Tali modo Reip. salus promovetur & singulorum status jugiter servatur illaesus. Quod ipsum Florentissimis temporibus nostris experimur, nam si ad exulceratissima Max. I. tempora respiciamus, quae rerum facies? quis disordo! Perniciosissimum campi iudicium exercebatur, impune grassabantur invasiones publicae & glandestinae, latrocinia, privata bella &c. Non tantum Rom. Imperium sed tota Christianeitas non raro cum multarum animarum perditione diminuebatur, detruncabatur, dilacerabatur. Haec omnia per dictum laudatissimum Imperatorem aliosque subsequentes in melius sunt reposita. Testis est Experientia.

CAP. X.

CONTRARIA ET PRÆSIDIA.

LXX.

A Busu tollitur iudicium arg. *l. C. de Emend. serv. cap. in quibusdam. 12. v. sacri. X. de poen.* Sic si quis pro sua libidine sub umbra officii turpiter ac flagitiose subditos emungat, & assiduis operis ita exerceat, ut iis suisque alendi tempus non sufficiat, removeatur. *Bald. in l. 2. §. Dominorum. de his, qui sui & alien.* Nudus tamen non-usus, si casus Puniendi facinorosos se non obtulerit, nil officit. *l. unus ex sociis §. fin. de S. V. P.*

LXXI. Nimia negligentia, quae iustitiae interitum inducit, facit aliquem removeri a jure dicendo. *l. si quos C. de off. Praef.*

D

Orient.

Orient. l. cum qui. c. de procurat. item denegata iustitia quoad illam causam, in qua denegatur §. si tibi igitur Auth. de mand. Princip.

LXXII. Jdictio Patrimonialis expirat cum ipso territorio, Personalis cum Persona *l. 196. de R. I.* Mandata morte mandantis, re integra *l. 6. ff. de jdict.* est enim mandantis propria per consequens una cum ipso extinguitur. Item revocatione mandantis, *l. 6. §. 1. de off. Pro-Conc.*

LXXIII. Delegata solvitur (1.) revocatione. (2.) morte delegantis, re integra, *c. 20. de off. & potest. jud. deleg.* (3.) morte delegati, nisi facta sub nomine dignitatis. (4.) Elapso tempore, *c. 4. & 24. eod.* Denique suspecti recusatione. Recusatur autem suspectus utroque jure delegatus & ordinarius *c. 61. X. de appell. arg. l. 4. c. de jdict.* fieri tamen debet illa recusatio ante litem contestatam. *l. 16. c. de jud.*

LXXIV. Quoad Vicarium Generalem specialiter observandum, quod licet causa coepta sit, ipsius jurisdictionio mortuo, deposito, excommunicato aut suspensio Episcopo, nihilo minus suspendatur aut expiret, Covarr. *in 9. pract. c. 4. n. 4. dd. in c. 1. de off. Vicar. in 6.* atque hæc expiratio ipso jure nimitur, ideoque etiam ignorante Vicario, nisi *l. Barbarium Philippus* eam conservet, contingit.

LXXV. Visa jditione aliquot Edicta, quibus partim auctoritas jus dicentis defendatur, partim ne iniquum jus dicatur vel impetretur veniunt coronidis loco consideranda. Ex Primo Edicto est actio de Albo corrupto, quæ Prætoria, Popularis, Pœnalis coërcet Pœna 500. aur. corruptentem, mutantem, rodentem, inducentem, tollentem Perpetuæ jditionis gratia preposita *l. 7. de jdict.* Ex secundo Edicto fluit actio personalis in factum Prætoria ex dolo malo ac delicto quodam, quod reddendo vel impetrando jus novum & iniquum perpetratur. *L. 2. quod quisque jur. in alt.*

LXXVI. Hoc Edictum duas continet partes. Prima
D 2
spectat

speçtat ad Magistratum cujuscunque ordinis, si cum effectu jus novum statuerit, idem, Petente adversario, de se patiatur necesse est. *L. 4. eod.* Secunda pars pertinet ad privatos Postulatione sua jus novum a Magistratu impetrantes, ut uterentur, licet actu usi non fuerint. Idem jus, Prævia adversarii postulatione adversus eos decernitur. *l. 3. eod.* atque hoc Edictum summam habet æquitatem, quis enim aspernabitur idem jus sibi dici, quod ipse aliis dicitur. *l. 1. eod.*

LXXVII. Ex tertio Edicto fuit itidem judicium Pœnale, quo Magistratibus, exceptis Duumviris, *l. un. pr. si quis jus dicent* competit facultas jdiçtionem suam defendendi contra eos, s. actores, s. rcos, qui executioni obstitunt eamque pati recusant. *D. L. un. §. 1. & 2.* continet hoc judicium meram Pœnam fisco applicandam & hæc pœna non infligitur secundum litigantium interesse sed secundum æstimationem rei istius, in qua executionem fieri non est passus. *d. l. un. §. fin.*

LXXVIII. Sunt & alia remedia, quibus coërcentur inobedientes uti immisio in bona. Item ad defensionem quasi possessionis jdiçtionis utiliter applicatur interdictum quasi Possideris *arg. l. 8 §. 5. in fin. si serv. vind. actio injuriarum arg. l. 13. in f. de injur. Compend. Schütz ad Lauterb. tit. de jdiçt.* Ad ipsam autem jdiçtionem vindicandam utiliter accommodatur actio confessoria, utpote quæ hodie non tantum servitutes sed & alia quæcunque etiam jura vindicat. Hæc hac de materia obiter, pro ejus amplitudine exiguum, pro ratione institi fati. Labor exiguus cedat in honorem & gloriam DEI Tri-unis, DEIparæque Virginis Mariæ omniumque Cœlitum, sub quorum auspiciis cepi & nunc esto.

FINIS.

MISCEL-

MISCELLANEA.

I.

Jus naturale tam in thesi, quam hypothesi est immutabile,

II. Dolus dans causam contractui sive sit bonae fidei s. stricti juris, neutrum reddit ipso jure nullum.

III. Inmissio in bona ob contumaciam debitoris a non-judice ratione personae, etiamsi res in ipsius territorio sita, fieri nequit.

IV. Filius haeres institutus & gravatus fideicommissio legitimam ac Trebellianicam deducit.

V. Judex ordinarius utroque jure recusari potest.

VI. Cedendo usumfructum extraneo retinet eum.

VII. Cautio est de substantia quasi ususfructus.

VIII. Feudi a servitio pure personali liberi capaces sunt clerici.

IX. Aurea Bulla tutelam Electoralem Proximo Agnato adimi posse non prohibet.

X. Polygamia virilis simultanea juri naturali non repugnat.





Erfurt, Diss., 1717

ULB Halle

004 548 485




3

f

TA-706

nur 2 u. 4 bisher verknüpft





1717 176 E. 19. num. 5. 20

QUOD BENE FELICITERQUE VERTAT
SACRO - SANCTA TRINITAS!
DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA,
DE
**UTRAQUE JU-
RISDICTIONE
SUPREMA ECCLESIASTI-
CA ET SÆCULARI,**
QUAM
AUSPICE DEO TER OPTIMO MAXIMO
SUPERISQUE FAVENTIBUS
AC
ANNUENTE NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO JURIS-
CONSULTORUM COLLEGIO IN ALMA ET PERANTIQUA
UNIVERSIT. ELECTOR. ERFURTENSI,
P R O
DOCTORUM INSIGNIBUS
ET PRIVILEGIIS IN UTROQUE JURE RITE
ET SOLENNITER CONSEQUENDIS,
PUBLICÆ DISQUISITIONI EXPONET
CONRADUS WILHELMUS STRECKER,
KIRCHWORBIO - EICHSFELDIACVS IN HAC ALMA
UNIVERS. DESIGNAT. PROF. P. E.
Auctor & Respondens
IN AUDITORIO ICTORUM MAJORI
AD DIEM X. MAJI M DCC XVII. HORIS CONSUETIS.
ERFORDIA,
LITERIS GEORGH RUDOLPHI ENGELHARDTIL.

